Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1819
Quelle:
Copyright:

ter das wandel. Ist das es Im an behabt ist mit zeugen, als recht ist. Viennensibus haec Jura scripta fuisse, patet e Rubricae II. initio: *Swer ze wienn vorsprech* (Advocatus) *ist in der schrann* &c. Singulare illud Rubr. LXXIX. de *Morgengeba* non alienanda, si Mulier, se invitam esse, juret *auf irn zwain prüsten vnd auf irn zwain czopffen*, id est, per ubera et *tricas* suas, sive comam bifariam plexam. In calce habetur: *Iste liber scriptus est per manus Jacobi Süzz*, et subjecta est Salutatio angelica, sed tantum usque ad: *ventris tui Amen.*

IX. *fol.* 107. ἀδεσποτως succedit compendium Juris civilis hoc ingressu: *Propter paternalem amorem quem ad filios meos dilectos habeo, aggressus sum ex paruitate ingenij mei multis vigilijs et laboribus immensis vnam summam legum breuem leuem et utilem stilo clarissimo componere, ut in ea se exerceant, quousque perueniant ad maiora.* Nulli operae peperci, ut Autorem hujus *Summae* cognoscerem, sed omnem lusi. Video tamen apud *Panzirol. de claris Leg. Interpretib.* L. II. c. 18. primum, qui *Summam Juris* conderet, fuisse Sec. XII. *Rogerium*, eamque 20. chartarum numerum non excessisse, quod a nostra non multum abit. Dividitur ea in Libros III. quorum I. *de Justitia.* II. *de Jure rerum.* III. *de Actionibus.* Libri in Rubricas tribuuntur. In *Italia* conscriptam fuisse e penult. L. II. Rubr. arguo: *Scolaris qui bononie moratur subiectus est iure communi iudici bononiensi* &c. inde vero adlatam ab Homine nostrate persuadent inserta germanica, v. g. ad Rubr. L. III. *de Jure Emphiteotico, id est Erbczins*, et Rubr. ult. *De friuolo alterius Domus ingressu quod Haymsuech dicitur*, et: *si est cum hanthaft cum duobus testibus superetur, si est sine hanthafft* (deprehensione in flagranti) *tunc cum septem testibus superetur ut ius est.* Eadem Rubr. meminit abrogatae expurgationis per duellum, per candens ferrum, per aquam bullientem.

X. *fol.* 162. Visio lingua germanica, quae incipit: *In dem Namen Gots Jesu Christi. Amen. An dem Auffert abent* &c. quamque recensam dedi *Vol.* I. P. 2. *col.* 1571. Vacillabat ibi, ut dixi, annus restituendae felicitatis publicae; at in exemplo praesente aperte habes: *Vnd daz wirt alles geschechen. wann man zalt von christi gepurt vierczehen hundert jar vnd darnach in dem ersten jar*, cujus temporis Historia parum sane subfragatur Videnti nostro.

XI. *fol.* 64. p. 2. Remedia quaedam superstitiosa. En Specimen. *Ad furtum scribe in pergameno virgineo K. et pone in aurem dextram cum dormias et apparebit furtum.* Accedit Schema sive *Arbor VII. Peccatorum mortalium.*

XII. *fol.* 67. *Domino suo excellentissimo et in cultu christiane religionis scientissimo Bindoiacone* (sic) *de valencia ciuitatis tripoli glorioso pontifici philippus suorum minimus clericorum se ipsum et fidelis*